

Q. K.
415
36

116
II i
2754

D. O. M. A.
DE

HOSTIIS ET CALICE VENENATIS.

Don

Vergifteten Oblaten und Kelchen im Abendmahl/

Auspiciis

V I R I

MAGNIFICI ET SUMME VENERABILIS

DN. D. JOH. FRID. MAYERI,

S. Palatii Cæsarei Comitis, Consilarii S. Reg. Maj. Sveciæ,
per omnes Germaniæ Provincias, Serenissimi Cimbrorum Ducis,
& Reverendiss. Abbatissæ Quedlinburgensis in Sacris Primarii, U-
niversitatis Gryphicæ Pro-Cancellarii perpetui, & Professoris Pri-
marii, Consistorii Regii Præsidis, Pomeraniæ Rugiæque Super-
intendentis Generalis, Pastoris ad D. Nicolai, & Facultatis
Theologicæ h. t. DECANI,

PATRONI OBSERVANTIA PLANE FILIA

prosequendi,
quædam proponit

M. IMMANUEL PROELEUS, Pomeran.

Facult. Philosoph. Lipsiens. Assessor.
ad D. XVI. Octobr. M. DCC. III.



GRYPHISWALDIÆ,

Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Acad. Typogr.



D. O. M. A.

Dissertatio Historico-Theologica,

De

Hostiis & Calice veneno inter
Sacra infectis,

§. I.



Portebat, ut res quibus
in divino cultu, animæ ad pie-
tatem proficiunt, non ad alios
quam condebitos sibi fines desti-
narentur. Sic enim suus ipsis
honor factus perstaret, & plu-
rimi, qui ex nefariorum ho-
minum flagitio, Religionis veritatem oppugnant,
non invenirent argumenta, quibus specie veri, ad-
versus recepta Ecclesiæ decreta grassarentur. Sed
vana hominum impietas, non nostris demum tem-
poribus, res sanctissimas, hoc magis impune ad sce-

A 2

le-

lerum suorum libidinem explendam traduxit, quod putaret, nunquam promptius aut occultius, se ad efficiendum illud, quod improbus animus destinaverat, neque tamen palam exequi ausus, provehi posse, quam si scelesto artificio, meditati criminis atrocitatem, symbolis quibusdam sacris obtegeret. Hinc apud Pontificios factum est, ut post errorem, avaritia succenderit purgatorias flammæ; ambitioni & dominationis studio, animarum custodia; voluptati & feedis libidinibus indulgentiæ; tyrannidi in conscientias exercendæ, adinventæ hæreseos voces infervirent & prætexerentur. Ut infinita alia, ob brevitatis studium omittamus quis unquam existimare potuisset, eo processisse, prodigiosam Clericorum impietatem, ut ne sanctissimis quidem in Eucharistia symbolis parceret, quo minus ad necem summis Principibus, & quod mireris, maximis apud Pontificios Antistitibus inferendam abuterentur, cum aperta via ad pertendendum scelus deferri non posset. Adeo nihil sanctum & inviolatum Pontificiæ Religionis hominibus, qui sacra administrabant, creditum est, quod sceleris meditati causa, violare non liceret. *Hostiam* uti vocant *veneno infectam, calicem toxico commixtum*, quondam a sacrificulo fuisse, ut facta sacrum epulum adeuntibus properarentur, historiæ produnt. Ex quibus tamen id commodi ad nos profluxit, ut recognoscere, detestandas hominum religiosorum, in Ecclesia pontificia artes condiscamus, & evidenti argumento trans substantia-
 tia-

tiationis commentum evertere possimus. Ut de veritate argumenti minus quispiam dubitet, dabimus ex historiarum monumentis documenta *venenatarum hostiarum atque calicis*. Explicabimus breviter *rationes & causas*, cur symbola tam sancte habita, ad perniciem communicantium fuerint usurpata; & subnectemus deinceps *sententiarum aut questionum* nonnullarum *explicationem*, quæ ad institutum nostrum, & argumenti connexionem apprime faciunt. Faxit æternum Numen, ut omnia cedant feliciter !

§. II. *Henricum VII. Imperatorem*, ex eorum fuisse numero probant historiæ, qui accepto inter sacra veneno, in pane eucharistico occubuit. Testis hujus rei est *Mejerus Libr. XI. Annal. Fland.* qui ex ævi istius Scriptoribus, Benevenuto Imolensi, Ptolomæo Lucensi, Chronicis Flandriæ, Jo. Beka, & ephemeritibus tunc temporis de Henrici actis consignatis, rem ad liquidum deducit. Vid. *Christoph. Sandii notæ & animadversiones in G. J. Vosii l. 3. de Historicis latinis pag. 194.* Proditum autem est, parricidam hunc, ordinis Dominicanum monachum Bernhardum nomine fuisse, qui ordo, tanquam ipsis cædes principum solennis esset, Clementem fovit, illum Henrici III. Galliarum Regis, admoto cultro venenato interfectorem. *Wilbemus Heda, Præpositus Arnheimensis, Levita & Canonicus, in Historia Episcoporum Utrajectinensium, quæ An. M. DC. XLII. edita est, pag. 231. hoc nobis de Henrico Imperatore tradit: Henr. Imp. An. 1313.*

porrecta per Bernhardum quendam professorem ordinis
 divi Dominici, Eucharistia veneno tincta sublatuſ est. Et
 successeſt Ludovicuſ Bavaruſ, fuit crebro ab aliis tentatum,
 ipſum Imperatoreſ, aqua venenata caliceque aureo toxica-
 to ſuſtollere. Sed magiſtri ordinis predicatorum, ultimi ma-
 li auctoreſ fueſe, acceptiſ a Regibuſ Francia, Sicilia atque
 Navarre, ac precipue Tarentiniſ (Florentinorum con-
 ductu tradit Cluver. *Epist. Hiſtor.* pag. 598.) XI.
 millibuſ aureorum, qui huic juſſerant tradere venanum.
 Et addit, neminem niſi aliquoſ, nulliuſ frontiuſ
 homineſ, illud inverecande negare, quod a gra-
 viſſimiuſ ejuſ temporis ſcriptoribuſ, multuſ addi-
 tiſ circumſtantiuſ affirmatur. Videri hanc in rem
 poteſt, continuator *Uſpergenſ.* in Paralipomen.
Platin. in Clem. V. *Cuſpinianuſ* in Imper. Roman.
Crantiuſ lib. 9. cap. 7. ex Ptolomeo Lucenſi Italo,
 qui per illa tempora floruit. *Gobelinuſ Coſmo-*
dromio æt. VI. c. 86. *Faſciculuſ temporum Wern.*
Robinc. fol. 83. *Mutiuſ Chron.* German. l. 23. *Jacob*
de Strada in *Theſaur. Antiquit.* Jo. *Baptiſta Egnatiuſ*
Venet. de Principibuſ Rom. L. 3. *Baleuſ* de Pontif.
 Rom. in Clem. V. *Annales H. Steſonis* ad an. 1313.
Volateranuſ Antropol. 23. *Compiler Chronici* ad an.
 1312. *Heliuſ Caurianuſ Hiſtor.* Brixian. l. 7. *Blonduſ*
 . 9. 2. *Decad. Benevenut.* de *Rambaldiſ* in *Lib. Au-*
guſtal. *Sebaſt. Muſter Coſmogr.* l. 3. *Carion.* *Chro-*
nol. 3. *Peuzer.* lib. 5. *Ubbo Emmiuſ Hiſtor.* *Friſ.*
 l. 13. ad an. 1313. *Naucleſ.* *Chronic.* Vol. 2. Gen. 44.
Paul. Langiuſ in *Chronolog.* *Citizenſ.* qui pene id
 in omnibuſ *Chronicuſ* haberi tradit. Conſtat
 autem

autem ex corio secund. part. Histor. Mediol. diem
mortis XXIII. Aug. contigisse, quem *Spondanus*
Continuat. Annal. Baron. p. 382. tom. I. XXIV.
scribit. Memorat *Pezelius* in Mellif. Histor. pag.
262. Imperatoris Henrici effatum fuisse, *calicem*
vite dedisti mihi in mortem, ortumque dixerunt:
Calix vite, calix mortis.

§. III. Neque defunt tamen, qui vel causæ tur-
pitudine vel favore in Monachos, vel alia qua-
dam ratione ducti, historicam veritatem de hostia
infecta, qua Henr. Imp. obiit, in dubium trahunt.
Tritemius enim commemorante *Scrivario* apud
Hedam, & *Bertelius* aliique pauci, ex professo con-
tradidunt. *Odoricus Raynaldus* in Anal. Eccles. ad
Baron. Tom. XV, ad an. 1313. pag. 128. recen-
tiores scribere dicit, Henrico Confessarium Præ-
dicatorum ordinis, qui a Gvelpha factione subor-
natus dicitur, sacram hostiam veneno livisse, alios
venenum in calice ablutionis miscuisse. Sed hanc
calumniam a pietatis (papalis intellige) osoribus
sparsam, tam facile refelli posse putat, quam ob-
jiciatur. Rei monumenta falsitatis arguit *Spon-*
danus Continat. Ann. Baron. Tom. I. p. 382. ad
An. CHRISTI 1313. Quoniam nemo ex anti-
quioribus illud asseruerit, tacente Jo. Villano in-
tegerrimo & ejus temporis scriptore; nihil diserte
affirmante Continuatore Historiæ Ptolomæi Lu-
censis, item Albert. Mussato Patavino & Conrado
Vecerio, qui teste *Pezelio* Cap. 3. P. 3. pag. 263.
Viram Henrici ex professo descripsit, quæ extat
Tomo

Tomo I. Veterum Scriptorum, qui Cæsarum & Imp. Germanicorum res litteris mandarunt, ex Bibliotheca *Justi Reuberi* p. 467. Sed scire convenit *Villanum* Florentinum fuisse, quibus id criminis imputabatur, adeoque minime ex re erat commemorare, ipsos Monachum ad scelus hoc patrandum corrupisse, quod minime impune fecisset. Continuatori Historiæ, præferendus est *Lucensis* ipse, qui ejus autor est. Quod autem *Abrabamum Bzovium* *Annal.* Tom. 14. an. 1303. diligenter objectiones expendisse dicatur, mirum non est, quoniam ordini Dominicano, cui *Bzovius* initiatus erat, minime honori est, aluisse nefariura hominem, & Imperatoris interfectorem. Illustris *Leibnitius*, illorum sententiæ tævet, qui fidem antiquorum diplomatum secuti, negantem sententiam de nece *Henrici* veriore putant. Nolumus equidem cum *Papebrochio* & *Jo. Mareshamo* apud *Mabillonium* de re diplomatica l. 1. c. c. 3. §. 2. & c. 6. §. 2. univ. sim affirmare, istiusmodi chartas fidem habere eo minorem, quo majorem præferunt antiquitatem, harumve corruptelas in Monachos præcipue refundere. Verum quousque fides diplomati, in causa *Henrici* Imp. adjungenda sit de eo explicatus agit, summus noster Patronus, & Dissertationis hujus Præses, in Epistola, qua nos in præsentem ornare dignatus est.

§. IV. Neque vero *Dania*, ab hoc scelere immunitis fuit, utpote quo Regem suum *Christophorum I.* hostia toxico in Sacræ Synaxeos usu infecta sublatum

latum vidit. Testatur de ipsius morte *Jo. Meursius* in *Historia Danica* Lib. II. pag. 41. Nonnulli volunt, pane dato eucharistico, ab *Arhusiensi* Episcopo *Arnefasto*, quem veneno imbuisset, obiisse. Quod profecto, ut omnino est horrendum, sic historia, propter sceleris magnitudinem, derogari fides poterat, nisi postea *Bernhardinus* eam *Monachus*, in *Herrico* Imperatore, nominis istius septimo, suo exemplo adstruxisset.

§. V. Facit *Gregor. Turonensis* *Histor.* I. 3. mentionem *Theodorici Italiae Regis filiae*, quæ cum *Tragiliani* servo, contra generis dignitatem nupsisset, & ideo a matre esset reprehensa, effecit, ut matri, ad altare venienti, in calice, de qua communicatura ipsa erat, venenum misceretur. Quo illa hausto protinus mortua est. Erant autem sub *Arriana* secta viventes. *Sandius* in *Nucleo Historico Ecclesiastico* Lib. 3. sec. 6. pag. 324. addit, *Fabulam* hanc esse, nemo peritus negaverit. At enim iudicium hoc, non ad integram historiam, verum ad interspersa illa de *Arrianis*, & quod *Turonensis* putarit, ideo venenum nocuisse matri, quoniam sub *Arriana* secta vixerit, referendum est. Quod ex subjecto exemplo, *Fratri Bernhardi* de monte *Politiani*, intelligi potest.

§. VI. Quæ fata maximi quondam Principes, eadem *Summus Pontifex Victor II.* propemodum expertus est. Refert de eo *Alphonsus Ciaconius* in *vitis & rebus gestis Pontificum Romanorum*, Tom. I. pag. 808. an. 1055. Victorem, horrendam plane passam esse proditionem, primo pontifi-

tificatus sui anno, venenum scil. ad ejus interitum immissum fuisse in sacrum calicem, sed DE Uⁿe Pontifex biberet, duplici miraculo obstitisse. *Lambertus* rem sic describit: *Huic Victori, Subdiaconus toxicum in calicem misit, quem cum ipse post consecrationem levare vellet, nec posset, a Domino causam facti inquisiturus, cum populo ad orationem prosternitur, statimq; extoxicator, a Demone abripitur; ita igitur causa manifestata; Dominus Papa, calicem cum sanguine dominico, cuidam altari jussit includi, & pro reliquiis in perpetuum asservari: deinde iterum cum populo, tam diu ad orationem prosternitur, quousq; Subdiaconus a Demone liberatur. Rem eandem, iisdem fere verbis recenset Jo. Palatius in gestis Pontificum Romanorum Vol. 2. pag. 291. in Victore II. Pontifice Romano 153. ex Urpergensis.*

§. VII. Sed *Victori III. Pontifici*, calix venenatus plane exitiosus extitit. De eo iterum *Ciaconius Ordinis Prædicatorum Tom. I. pag. 875. ad an. 1086. ex Baron, an. 1087, n. 10. Sunt qui scribunt, cum veneno in calice dato, cum sacra faceret, Imperatoris & Pseudopape insidiis mortuum. Testantur idem de Victoris interitu antiquissimi historici, Bertoldus Presbyter Constantiensis, Hugo Flavicensis, Sigebertus, Leo Ostiensis, auctor Chronici Malleaensis, Guilielmus Mamelsburiensis, qui perisse Victorem dicit, dum primam missam caneret, veneno in calice propinato, aut secundum Martinum Polonum, hausto in sacro calice veneno, & Werner, Rolevvinckum, per venenum in calice missum. Quam vero Sigebertus, & Vincentius Bellovacensis, Vi-*

&c.

Storem dysenteria periisse scribunt, recte tamen *Platina* observat, nullam esse contradictionem, eundem veneni haustu & dysenteria periisse, quoniam veneni consequens, dysenteria perhibetur.

§. VIII. Cum vero nec sacrae Synaxeos usus, summis Pontificibus a veneno tutus esset, non immerito quispiam existimet, illum communicandi rationem, qua Romanus Antistes cœna utens hostiam mediam, inter se atque Diaconum & Subdiaconum dividit, nec minus vinum in calice asservatum, cum iisdem ebibendum communicat, inde fluxisse, ut a veneni insidiis, quod in sacro hoc epulo, antecessoribus ingestum fuisse, edoctus erat, tutior præstaretur. Vix enim contingere posse putandum est, ut Diaconus & Subdiaconus cœnæ administri, idem veneni periculum subire vellent, quo Pontifex, veneno in hostia aut calice per ipsos porrecto & delibato, de vita tolleretur.

Joannes a Chokier de Surllet, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ, ac Vicarius Leodiensis, Electoris Coloniensis Consiliarius, & Abbas secularis Ecclesiæ Visetensis, qui Centuria secunda, Facis Historiarum Cap. L. ceremoniam hanc papalis missæ latius describit, causam aliam huic ritui prætexere nititur, & quod inter Pontificem, & Cardinalem administrum Diaconum & Subdiaconum, panis eucharisticus atque calix dividatur, hanc adducit, nimirum ut dimidia hostia, cum Diacono & Subdiacono Cardinalibus communicata, indicetur, CHRISTUM Dominum, post resurrectionem

cum discipulis manducasse, teste *Innocentio Lib. 5. Off. Missæ Cap. 7.* Et uti particula calici immersa, significat Ecclesiæ partem, naufragio hujus seculi, multis passionibus & ærumnis agitatum, ita duas partes hostiæ, notare duas Ecclesiæ partes, quæ de beatitudine sunt securæ, unam in purgatorio, alteram in beatitudine triumphantem, secundum *Stephanum Durandum.* Calamo autem a Pontifice, Ministro Diacono & Subdiacono sumi vinum, *Roccha* hanc rationem allegat, ut acerbitas passionis CHRISTI in Missa, summi DEI Sacerdotis, & ipsius Vicarii CHRISTI specialius repræsentetur. Verum quis commentitiam hanc causam, non facile animadvertat, quæ contorta admodum est, & si vera esset, non demum sequioribus temporibus verum statim a primis initiis, cum cœna administraretur, divisio hostiæ, inter Pontificem & Diaconos, ad figurandam hanc mysticam significationem, obtinere debuisset, id quod ex historiarum documentis ambiguum est.

§. XI. De *Wilhelmo Eboracense Archiepiscopo*, nos docet *Henr. Wartonus* in *Anglia Sacra*, quod veneno inter missarum solenia interierit. *Postea* inquit pag. 72. Part. I. *Wilhelmus Archiepiscopus Eboracensis in Angliam rediens, & suam Alumnam Wintoniensem visitans, ad sedem propriam Eboracensem an. 1154. 7. Id. Maji veniens, in solennitate pentecostes, inter missarum solennia, veneno interfectus est, & post paucos dies migravit ad CHRISTUM.* — Eadem repetuntur pag. 300. *Wilhelmus Archiepiscopus Eboracensis, pacificatus suis, medi ante*

ante Episcopo Henrico, cum reversus esset de exilio, veneno extinctus est, ut fertur ab Archidiacono suo, misso veneno in calice suo. Assentitur Rogerius de Hoveden, qui an. 1199, scripsit, & Gervasius, 1200. vitam agens, in Chron. Apud Matthæum Parisiensem, hæc de Wilhelmo verba leguntur: *Henricus* (nam utroque nomine notatur) *Eboracensis*, cum divina celebraret mysteria, hausto in ipso calice (ut ajunt) veneno obiit.

§. X. Non prætereundus est *Raynerius*, Episcopus Magolensis, qui Fratrum Samaritanorum testimonio, intoxicata Sacrosanctæ Eucharistiæ hostia, diem suum obiit.

§. XI. Patuit ex allatis historiarum documentis, homines religionem ex instituto professos, identidem cædis sacro scelere patratæ, causam & instrumenta fuisse. Et mirari subit, *Odoricum Raynaldum* Tom. XV. ad an. 1313. amolendi criminis causa a Bernhardo fratre, primo loco afferre confessarium hunc virum extitisse religiosum ordinis Prædicatorum. Diu enim est, quo enixe, de flagitiis & sceleribus istorum hominum conquesti sunt, non Imperatores modo & Principes summique viri, verum ipsi etiam Pontifices! *Adrianus VI.* Papa, in instructione, *Francisco Cheregato* Legato, ad comitia Norimbergensium dato, fateatur ingenuè, *DEum* permittere, ut persecutio immittatur Ecclesiæ, propter peccata hominum, maxime Sacerdotum & Prælatorum, & scire se, in ipsa sancta sede, aliquod jam annis, multa abominanda fuisse, abusus in Spiritualibus

bus, excessus in mandatis, & omnia denique in peruersum mutata. DEI honori, & animarum felicitati, ac edificationi obfuisse, quod beneficia Ecclesiastica, maxime curam & regimen animarum habentia, data fuerint hominibus indignis. Status & ordines imperii Norimbergæ 1523. congregati in responso ad Hadrianum VI. dubium esse inter alia dicunt, an Pastores illi conductitii, non predones potius sint appellandi. Jacobus de Grytode in Quotilibeto statuum, coli in curia Romana conqueritur idola, in fornace avaritiæ, ambitionis, superbiæ, in continentia, & caterorum vitiorum conflata. Quapropter ordo & habitus religiosus, neminem a criminis incusatione tutum præstabit. Illi vero, qui tristem Henrici calamitatem in iram divinam referunt, quæ ipsum puniverit, quod censuras Pontificias spreverit, vel se ipsos produnt, vel censurarum papalium rationes ignorant. Quæ satis perspicue intelliguntur, ex Anonymi Hypomnematæ, de fide, observantia & benevolentia Pontificum Romanorum, erga Imperatores germanicos, collectum ex veris atque fidelibus historiæ monumentis, quod Basil. per Jo. Oporinum 1566. prodit. Cum enim pag. 102. ostendisset, Clementem Papam, ob Henrici potentiam & amicitiam, cum Ruperto Rege, Cardinalibus coronatione in Henrici interdixisse, addit; Clemens, odio Henrici incensus, ad Rupertum Regem Apuliæ, quem is juridico ritu læsæ Majestatis condemnat, hostemq; imperii judicarat defecit, atque sententiam in eam latam, non tam jurisprudentia, quam odio Imperatoris improbat, atque rescidit. Magnarum tum contentionum, inter Pontificem & Henricum

cum

*tum semina jacta erant, sed ea præcivite atque præmatu-
ra hujus morte, ad nihilum recidere. Ex quo cogno-
scitur, quæ ratio subfuerit, cur Henricus censu-
ras Pontificias spreverit, atque an ideo, præcipi-
tem mortis pœnam, a DEO expectare debuerit
Imperator, nisi Pseudo monachus Bernhardus, qui
diu se amicum Imperatoris gessisse in citato hypo-
mnemate dicitur, veneno intervenisset.*

§. XII. Quodsi enim genuinas mortis ratio-
nes, inquirere velimus, paulo propius contem-
plandæ nobis sunt imagines geniumque Imperato-
ris ipsiusque Adversariorum. *Jo. Villanus l. 9. c. 48.*
Henricum commendat, *uti multis virtutibus cumu-
latissimum Principem, qui neque in prosperis elatus letitia,
neque in adversis dejectus mœrore fuit. Et Antoninus
ipsum celebrat, quod fuerit vir sapiens, justus, gra-
tiosus, in armis strenuus, catholicus & honestus, & qui ut
sperabatur, non infima egisset, si longiori vita functus fuis-
set.* Hinc Albertus ipsum appellat: *columnam magna-
nimitatis & justitia, florem germinis germanorum.* De
Clemente V. autem Papa, nos Platina in ejus vita
docet, ipsi unicum illud Homeri placuisse, *unus sit
Princeps ad quem omnia referantur.* Florentini vero Hen-
rici hostes, pessima ab ipso expectabant. Quod
sufficere potuit, ut ad subvertendum Henricum,
omnes vires conferrent. Neque præstantius reme-
dium morte Imperatoris inveniri potuit qui vivus
virtute & fortitudine sua facile resistisset. Quo
decreto facto, idoneum instrumentum Bernhar-
dus Monachus fuit, qui vel malitia, vel simplicitate

in-

inductus, ea conatus est exequi, quæ hostes Imperatoris optabant.

§. XIII. Si cui mirum & insolens videatur, Monachum religiosum, in id consentire posse, ut rem tam sancte habitam, qualis est panis & calix Eucharisticus, ad eadem homini, clam & astu inferendam usurpet, illis genius, & animi indoles Monachi, cognoscendus est. *Religiosus enim aut Monachus, apud Pontificios, illud in primis profitetur, ut renunciatis plane terrestribus, & humane vite operibus, DEO solum rebusque divinis operetur.* Unde consequitur, ipsum eo maxime eniti, ut quicquid sibi de rebus divinis persuaserit, summo conatu defendere & amplificare studeat, ut in vulgus passim celebretur. Hinc penitus eum ferre nequit, qui aliis rationibus persuasus, aut fidem ipsi negat, aut suis se conatibus opponit. *Causa si quærat, revera semel animo firmiter impressa ipsius est opinio, sed cum de opinione sua dubitari, aut saltem ratio exquiri possit, religiosa animi pietas & devotio prætenditur, de qua dubitari non posse putat, & vulgo non dubitari solere animadvertit.* Est autem homini naturale, vel suæ vel alterius vitæ dispendio, illud redimere & propugnare, quod maximi momenti pondus in se habere putatur. Itaque cum homini religioso, illud in mundo carissimum sit, quicquid de sua sibi devotione, animo impressit, quid consequi aliter potest, ipsius tenax in sua superstitione studium & persuasio, quam

quam ut mortem inferre parum ducat, illi quem aspernari, opinionem a se tam magnifice habitam videt, & qui suæ devotionis studium, vel improbæ dissimulationis, vel erroris arguit. Vera enim in *Sorberianis* p. 80. affertur ratio, quod nihil magis in vita declinandum sit quam religiosi h. e. Monachi ira aut malevolentia. Apponemus ob elegantiam, ipsa Sorbierii verba Gallica. *Il n'y a inquit rien plus à craindre, qu' un devout irrité; c'est un animal fort colérique & vindicatif, parce qu'il estime, que Dieu lui doit de retour, que la religion est blessée en sa personne, & que ses fureurs sont divines*, quæ non nemo ita Germanice reddidit: Man hat sich für nichts so sehr zu fürchten / als für einen zum Zorn bewegten Religiosen; Denn solcher ist ein sehr cholericches und Rachbegieriges Thier / dieweil es meinet / das GOTT sein secundant seyn müsse / daß die Religion in seiner Person hart blesiret / und endlich daß sein Zorn göttlich sey. Quare si ipsi, quippiam specie devotionis, semel fuerit persuasum, & quod per hoc DEO, atque animæ suæ gratissimum præstetur officium, eo facile deducetur fervore animi, quo homo, sensum communem tantum secutus, nunquam potuisset. Ut nihil de ambitione sacra commoneamus, quæ in ejusmodi negotio, occulte admodum & subtiliter, sed satis potenti ausu vires exerit. Legimus enim in Evangelistarum scriptoribus, ipsos Phariseos, Christum occidere meditato fuisse, quoniam alia docebat, quam quæ cum

C

ipso-

ipforum persuasione erronea, quæ ipsis sanctissima credebatur, convenirent. Hæc si recte calculum ponimus, præcipua origo persecutionum, quem primi Christiani a gentilibus, & deinceps alii ab aliis perpeffi sunt, statuenda est. In hoc studio, claruisse Dominicum, qui ordini primum nomen dedit, testatur *Philip. a Limborch*, qui in *Historia inquisitionis l. i. Cap. X. p. 40* de eo hæc prodidit: *acceptis ille literis Dominicus, quodam die in ade sacromonialium Prulliani, cum ad eum magna hominum multitudo, ut fieri solebat concurrisset, publice pro concione aperuit, sibi novum officium a summo Pontifice fuisse injunctum: addens sibi in animo esse res fidei, pro virili parte defendere, quod si ad hoc arma spiritualia & ecclesiastica non sufficerent, sibi constitutum & deliberatum esse, auxilium brachii secularis invocare, excitando & impellendo Principes catholicos, ad arma contra hæreticos capienda, ut eorum memoria funditus deleteretur. Hinc Ximenius, Inquisitoris officio, svasu Alexandri VI. fungens apud eundem *Limborchium l. i. c. 24. p. 84.* in Zege- rum quendam, partim ob generis nobilitatem, partim ob egregias animi corporisque dotes, auctoritate præstantem, *omni fere humanitate deposita, severa ratione animadvertere decrevit.**

§. XIV. Quibus recto judicio expensis, ratio patere potest, cur tot a nobis adducta extent exempla, summorum virorum, infidiis sacrificuli veneno interemptorum. Generatim enim, quod §. præcedente attingimus, de pravorum Confessoriorum, uti audiunt, animi habitu & indole statuen-
dum

dum est, ipsos præfervido cuidam zelo, cui scientia recti quidem, sed non item affectus perniciosi naturales defuerunt, indulgisse, in primis cum pecunia aut honorum spe tentarentur. Fuere profecto homines, qui sacra quadam persuasione sollicitati, sibi licere plura, quam per justas rationes vulgo conceditur, perniciosè opinati sunt, ut extra ordinem peccarent. Hinc avaritia & ambitio, alio velata prætextu, impune grassari potuit. Nec cuiquam singulare videatur, quod res sanctas, uti Eucharistiæ symbola, ad fines tam abominandos converterint. Cogitandam enim est, finem ipsis, scilicet necem hominum, ob sacram rationem, quam sibi pervaserunt, non tantopere malum, sed licitum & sanctum habitum fuisse. Ex quo deinceps, media tam tristitia, mensuram & valorem suum acceperè. Neque fortassis illi, circa hæc symbola, tam sanctam habuere persuasionem, qualem Laici, Pontificiis dicti, fovere solent.

§. XV. Superest, ut ad quæstionum nonnullarum, cum argumento nostro nexum habentium, explicationem accedamus,

QVÆSTIO I.

An cui hostia aut calix venenatus porrigitur, verum Sacramentum accipiat?

C 2

Neg.

Neg.

Ponimus in antecessum, sacram cœnam, sub utraque specie, uti Theologi loquuntur, administrari. Una enim species tantum sumpta, tollit essentialem Sacramenti integritatem, naturamque Sacramenti prorsus tollit. vide *Finck*. Quæst. Illust. qu. 146. p. 960. Sed præter hæc, ad verum Sacramentum requiritur, ut Symbola, panis, scilicet & vinum, in administratione adhibeatur, quemadmodum Christus eadem usurpavit; & aliis ad usurpandum præscripsit. Constat autem Christum, panem & vinum minime infectum adhibuisse, sed sanum & integrum. Quare cum Symbola talia, ab iis qui de hostiis & calice venenato participant, non usurpentur, qualia Christus voluit; verum Sacramentum accepisse dici nequeunt, & quemadmodum in baptismo, aqua medicata, destituitur promissionis verbo, & incapax est rei Cœlestis, ita in Sacra Cœna, venenatus panis, aut veneno infectum vinum. Accedit quod venenum, cum ipsam panis & vini substantiam penitus ingreditur, in ipsa prædominetur, ipsamque bonitatem naturæ destruat & immutet, ut ex pane sano venenosus, & ex poculo salutis lætiferum reddatur. Quoniam vero servator Christus, materia naturam non destruyente sed conservante in cœna usus est, proinde qui veneno corruptis Symbolis utitur, veram Sacramenti participationem non consequitur. Adde, quod sub elemento panis nutritionem Spiritualem,

lem, sub vini elemento, lætificationem Spiritua-
lem, geminos Sacræ cœnæ usus significare vo-
luerit. Illos vero venenatus panis & vinum, non
innueret.

QVÆSTIO II.

An qui hostiam aut calicem venenatum
acceperint, fructum aliquem exinde hau-
riant Spiritualem ?

Aff.

SI digne acceperunt, ex Sacramentali illa co-
mestione & bibitione, dico nullum, bene ta-
men ex Spirituali. Cum enim diversæ illæ co-
mestiones & bibitiones, quæ formaliter inter se
quidem differunt, ad dignam tamen sacræ Eu-
charistiæ summionem concurrant, SACRAMEN-
TALIS quidem quæ ore corporis fit ad Eucha-
ristiæ essentiam, SPIRITUALIS quæ fit ore fi-
dei, ad finem salutaremque effectum; eludere
quidem potuit Interfectio, Sacramentalem man-
dicationem & bibitionem, non vero Spiritualem,
quæ ad illas externas species adstricta non erat.
Et semper Salutaris est Joh. VI, 54. 56.

C 3

*Qui
edit*

edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam aeternam, & ego suscitabo eum in die novissima. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo.

QVÆSTIO III.

An ex historiis, de pane & calice venenatis, solidum argumentum, contra Transubstantiationem Pontificiam, duci possit.

Aff.

Gabriel Biel l. 2. in *Can. Missæ* asseverat, in manibus Sacerdotum, veluti in utero virginis, Filium Dei incarnari. Laudari in Ecclesia Pontificia solet illud Bernardi: qui me creavit, dedit mihi creare se, & qui creavit me sine me, creatur mediante me. Hinc auctor *Bigam*: Salutis, Sacerdotum potestatem supra Angelicam, & Deiparæ virtutem longo-longius extollit, quoniam Doctoribus Ecclesiæ Romanæ, una cum caractere, virtus quædam conferatur plane divina, qua ceu DEI æmuli, verbis in tremendo Missæ officio rite prolatis, symbola Sacramenti, quoad substantiam destruere, & in CHRISTI carnem, sanguinem, animam, Deitatem possint convertere, *conversione* uti nonnulli vocant *adductiva*. Vid. Bellarm. *Opp. t. 3. l. 3. de Euchar. c. 18.*
p. 618

p. 618. *Cornel. a Lapide ad Esa. VII. p. 119.* Hanc de transubstantiatione doctrinam, publica auctoritate munit *Concil. Trident. Sess. XIII. Can. II. & Vocabulum illud, prælucente prius Lombardo, in Ecclesiâ introduxit Concilium Lateranense V. sub Innoc. III. Quem errorem in Protestantium Ecclesia rejiciunt Libri nostri Symbolici, in Epit. Art. VII. p. 602. & Solid. Declarat. p. 756. Art. VII. n. 1. cum docetur, (ut ipsorum verbis loquar) quod panis & vinum, si consecrata aut benedicta fuerint, in SS. cœna, substantiam suam & essentiam penitus amittant, & in substantiam corporis & sanguinis CHRISTI convertantur, ita quidem ut sola externa species panis & vini, sive accidentia sine subjecto, reliqua maneant. Et quod fingunt, corpus Christi, sub specie panis (qui tamen ipsorum opinione, jam non amplius est panis, sed naturalem suam essentiam amisit) revera præfens esse, etiam extra actionem cœnae dominicæ, cum videlicet panis, in sacrario inclusus adservatur, aut in solenni theatrica pompa adorandus ostentatur & circumfertur.*

Omittimus varia Nostratum argumenta, huic doctrinæ opposita, nec urgemus absurda quæ inde consequuntur, si v. gr. hostia transubstantiata, suffiretur, projiciatur in locum fordium, aut calix profundatur, quod corpori, aut sanguini CHRISTI idem tunc subeundum sit, de quo videri potest lepidus libellus *Holteri*, qui *mus excenteratus* inscribitur, & *Jo. Ludovici Fabricii* *Scrupuli*, ex Sacramenti venerabilis casu, in ipsius operibus pag. 72. Opponimus tantum, ex historiarum & calicum vene

venenatorum historia, sequens argumentum: Si hostia aut calix venenatus esset transubstantiatus, indicandum feret subjectum, cui venenum inhereret. Sed in hostiis, & calice venenatis, nullum potest ostendi subjectum. Itaque concludendum est, hostias & calicem non esse transubstantiatum. Connexio Majoris patet, & probatur, quia proprietas venenatum esse, requirit subjectum, de quo dici possit, quod istiusmodi venenata qualitas ipsi inhæreat. Omnis enim proprietas, in subjecto quodam subsistit. Minor propositio, sive quod in hostiis & calice venenatis, secundum opinionem Pontificiorum, transubstantiationem propugnantium, nullum ostendi possit subjectum, cui venenum inhæreat, hoc modo demonstratur: Subjectum quod venenum in se reciperet, aut erit substantia panis; aut substantia corporis Christi; aut utrorumque accidentia. Sed neutrum horum subjecti locum subire potest. Non substantia panis; quia secundum Pontificios, substantia panis perit, aut conversa est. Non substantia corporis Christi, quoniam contendentibus Pontificiis, corpus Christi gloriosum, nulli alterationi substantiali & accidentali, amplius est obnoxium, neque necem aut perniciem, homini pio inferre potest. Nec denique utrorumque, scilicet panis aut corporis Christi accidentia, venenata proprietatis subjectum dici possunt. Accidens enim prædicamentale, uti vocant, subjecti rationem subire, in sana ratione, locum non invenit, & rerum essentias evertit. Quoniam accidentium est, inesse per naturam, quod
DEUM

DEUM tollere aut destruere velle, nemo sine gravissima causa persuaserit, quam hactenus a Pontificiis desideramus.

Tria aut quatuor exceptionis loco, in gratiam Pontificiorum, ad declinandam argumenti vim, nobismetipsis objicimus. I. Excipi potest, venenum per se, (uti Philosophi loquuntur) esse substantiam, hinc illud non indigere alio subjecto, cui inhæreat, verum conjungi cum accidentibus hostiæ aut calicis. II. Per malos angelos, venenum fuisse allatum, ipso temporis articulo, quo hostia & calix transubstantiatus porrigebatur. III. Per miraculum fieri, ut accidentia subsistant sine subjecto. IV. Ingeniosissime omnium *Cartesius in Obs. IV. Meditationum suarum pag. 137. edit. Amstel. ad ea quæ Theologos morari possunt*, excipit, accidentia non esse realia, sed illa deferri ad sensus ex superficie corporis, per motum aut conatum quarundam particularum. Hinc substantiam corporis Christi, subire locum panis, apparentibus iisdem accidentibus.

Respondemus breviter ad I. Concedendo, uti ex Medicorum scholis constat, venenum subsistere in re quadam, tanquam in subjecto, quoniam vero, in Sacra cœna, nullum adest subjectum aut substantia, præter hostiam aut vinum, necessum est, ut ipsa veneni malignitas, inhæreat aut pani, aut corpori Christi. Quoniam vero corpori Christi, inhærere non potest venenum, concedentibus Pontificiis, igitur inhære-

D bit

bit substantiæ panis, qui proinde non erit trans-
 substantiatus. *Ad II. Resp.* Probandum esse Pon-
 tificiis, DEUM permittere malis angelis, in ne-
 gotio tam sancto, ut mala homini pio inferant.
 Alias scelera quæcunque, fraude occulta ab ho-
 minibus, illata, omniaque opinionum monstra, hoc
 argumento excusari, aut obtrudi nobis poterunt.
Ad III. Resp. Ut miracula, præter communem na-
 turæ ordinem edantur, requiri causam gravissi-
 mam, adeoque Pontificiis, miracula eorumque
 causæ non fingendæ, sed argumento luculento
 demonstrandæ sunt. In sacra cœna autem, nul-
 la statuenda esse miracula, neque ipsam sacram
 Cœnam esse miraculum, probavit Vir summus,
 cujus auspiciis hæc nostra dissertatio prodit, *in*
disputatione de Miraculis, quæ Christo tribuuntur, ante
Miraculum in Nuptiis Cane in Galilea. Ad IV. Resp.
 Accidisse Cartesio, (uti jam ante nos doctissi-
 mum Gallia lumen P. D. Huetius in Censura
 Philosophiæ Cartesianæ notavit,) quod iis non
 aliter potest, qui Theologos Pontificios offendere
 nolunt, adeoque de concilianda sua sententia, cum
 ipsorum hypothesibus, coguntur esse solliciti. Sci-
 ebat Cartesius, accidentia non subsistere sine sub-
 jecto, fatebatur l. e. etiam, accidentia realia sine sub-
 jectis, non convenire cum doctrina Theologorum
 & repugnare rationi. Quibus concessis, secundum
 ipsius Cartesii principia, fieri non potuit, ut corpus
 CHRISTI, diversissimæ naturæ & proprietatum,
 subeat locum panis, ejusq; accidentia in se sustineat,
 nisi

nisi confusionem inter cogitationem, & extensionem, corpus naturale, & cœleste gloriosum. vellet introducere, a quo omnia ipsius Philosophiæ principia, quam sunt alienissima.

QVÆSTIO IV.

An Minister, hostias aut calicem veneno inficiens, pœna civili possit affici?

Aff.

Quam servere iustissimus Vindex in Interfectorem Henrici VII. animadverterit fide B. Crameri referam Lib. II. der Pommerischen Kirchen-Historien Cap. 22. fol. 54. In demselben Jahre/ hat der Pabst Clemens, einen Dominicaner-Münch/ der des Kaysers Henrici Beicht-Vater war/ mit Gelde bestochen/ daß Er den Kaysen mit Gifft umbringen solte/ der Münch / (welcher Paulinus soll geheissen haben/) weiß keine bessere Gelegenheit/ als daß Er am Tage Ascensionis Mariæ, da der Kaysen seine Fastel-Tage gehalten / und sich zum Tisch des HERRN bereitet hatte/ dem Kaysen eine vergiftete Hostien zurichtet/ von Adamanten-Pulver/ neben vergifteten Wein/ und tödtet Ihn also durch das Sacrament. Der Thäter komt in Belschland / da empfängt Er seinen Lohn vom Pabst was

Q 2

Ihn

Ihm versprochen war. Aber Er empfing auch bald hernach seinen Lohn von GOTT/ der schlug Ihn/ daß dem Mönch die Finger abfauleten/ und so gräulich stank/ daß man Ihn das Brodt/ gleich einem Hunde zuwerffen hat müssen/ und viel desselben Ordens Klöster und Mönche/ wurden zur Rache mit Feuer und Schwerdt in Thuseia/ Lombardey und andern Orten ausgerottet/ der unschuldig getödtete Käyser / ward zu Pisa in einen silbern Sarg geleyet. Dominicanos inde, in perpetuam rei infamiam, *sinistra manu* hostiam, dum missam celebrant tumere, plurimi inter Pontificios credunt. Confutat prolixè Abrahamus Bzovius hoc ex Ordine S. Dominici Scriptor, si Theoph. Raynaudo Jesuitæ credas, nullius pretii, & fidei nullius historicus, hanc veram hujus ritus Dominicani interesse rationem. Cæteri gregis hujus, has præcipue obvertunt causas, *sinistra se manu*, hostiam in Missarum tenere solennibus, ad denotandum, quod *dextra manu* parati sint, ad defendendam realem CHRISTI in S. Cæna præsentiam, quod hic vetustissimus Missam administrandi ritus sit, singulari Concilii Tridentini privilegio, ipsorum Ordini, quemadmodum & Carmelitarum indultus. Sed mittamus hæc, & de civili jam loquamur pœna. Quod si mors, aut aliud mali quid, venenatam cœnam fuerit consecuta, minime dubitamus affirmare, ministrum criminis, civiliter esse puniendam, non equidem uti corruptorem Sacramenti, sed tanquam maleficum & interfectorem. Quod probatur, quia

quia homines, sacro ordini initiati, quoad corpus, civitatis membra sunt, eodemque jure, uti alii tenentur, hinc si reipublicæ damnum dederint, Magistratus civilis est, in ipsos animadvertere. Ne scelera quocunque prætextu, impunitatem invenient. Et nefarius conatus, qui re sacra ad perniciem hominum utitur, quanto illud fieri potest occultius, hoc majorem pœnam meretur. Neque tamen sacri muneris homo, ea ratione puniri potest, quod delictum pure spirituale, re quadam sacra commiserit, ex quo nulla perniciens ad rem publicam metui potest. *Primo* enim Magistratus civilis, cui soli pœnarum potestas, in civitate competit, ex suis principiis, discernere haud potest, quæ ratio delicti spiritualis sit. *Deinde* in neminem peccatur, delicto pure spirituali, præterquam in solum DEUM, qui omnium optime modum vindicandæ suæ gloriæ novit. *Confer. Jud. VI, 31. Denique* Pœna civilis nihil proficit ad emendationem spirituales. Quia cultum & amorem Deus spontaneum exigit. Ut eadem proinde emendandi remediis, quæ hominem sponte, citra vim externam, ad pietatis sincerum, & DEI inserviendi studium, citra hypocrisin adducunt.

INDEX DISSERTATIONIS.

§. I.

Accessus ad institutum, ejusque tractandi ratio.

II. *Henricus VII. Imperator ex hostia venenata periit.*

III. *Negatur a nonnullis Henrici Imp. cædes.*

IV. *Chri-*

IV. Christophorus I. Dania Rex, ex hostia venenata moritur.

V. Theodorici Italiae Regis Uxor, calice venenato necatur.

VI. Victor II. Papa calice venenato tentatur.

VII. Victor III. Pontifex, calice venenato occubuit.

VIII. Cur hostia & calix, inter Pontificem communicantem, & Diaconum atque Subdiaconum dividatur.

IX. Wilhelmus Eboracensis Archiepiscopus, calice venenato interemptus.

X. Item Raynerius Episcopus Magolensis.

XI. Ordo sacer neminem a scelere excusat.

XII. In causam cadis Henrici Imp. inquiritur.

XIII. Cur religiosi homines, in tam tetra scelera consentiant.

XIV. Cur tot extent exempla, summorum Virorum, a Religiosis, venenatis hostiis, aut calice interemptorum.

XV. Proponuntur Questiones.

I. An hostia aut calice venenato utens, verum Sacramentum accipiat.

II. An venenatam hostiam, aut calicem accipiens, fructum spirituales sentiat.

III. An ex historiis, de venenatis hostiis & calice, dogma de Transsubstantiatione refutari possit. Recensetur sententia Pontificiorum. Opponitur Argumentum. Refelluntur exceptiones.

IV. An Minister cadis, per hostiam & calicem illata, civiliter puniri possit, & quod delictum pure spirituale corporaliter puniri nequeat, declaratur.

COROLLARIA.

I.

Sequitur ex superioribus, Religionem Pontificiam, inde maximam cladem accepisse, quod nimis aperte Religionis nomen, vitiis suis accommodaret, hinc facile animadverti fraus potuit a prudentioribus.

II.

Male sibi consulunt, qui Philosophiam suam, ad palliandos errores Pontificios in Religione applicant. Quod cum CARTESIUS, in gratiam Theologorum fecit, Philosophiam suam uno errore auctiorem fecit, ex quo tamen nihil commodi, Pontificiis accedere potuit.

III.

Neque ex altero latere felicior fuit HOBESIVS, qui in defectu peccans nihil propemodum Theologicarum doctrinarum admittendum esse censuit, uti in primis Liber ejus LEVIATHAN ostendit

IV, Re.

IV.

Reliquiarum veneratio, ex inepta quadam persuasione, inhærentis & hæreditariæ sanctitatis cœpit originem, quam stupor plebis, & docentium commodum auxit.


V.

Nihil magis in errorem inducit, quam si sanctitatis opinione clarus, penitus ab errore, aut immunis a vitiis censeatur.

VI.

Recte Magistratus potestas, in sacris, quoad externa exercetur.





B.I.G.

Farbkarte #13



116
Pi
2754

A.
CALICE
ATIS,

fen und Welchen
dmahl/

is
I
ME VENERABILIS
ID. MAYERI,
nfilarii S. Reg. Maj. Sveciæ,
Serenissimi Cimbrorum Ducis,
urgensis in Sacris Primarii, U-
rii perpetui, & Professoris Pri-
omeraniæ Rugiæque Super-
ad D. Nicolai, & Facultatis
DECANI,

TIA PLANE FILIA
ndi,
ponet
OLEUS, Pomeran.

ipsiens. Assessor.
M. DCC. III.

LDIÆ;
AMINIS STARCKII,
Typogr.

BIBLIOTHECA
POMERAVIANA

